D. O. M.
THESES
EX UNIVERSA MEDICINA

PUBLICIS AGITANDÆ DISPUTATIONIBUS

IN SCHOLIS MEDICORUM

ACADEMIÆ CADOMENSIS,

PRO DOCTORIS AGGREGATI MUNERE CONSEQUENDO.

M. PETRO ANGO, Professore Regio, Præside.



CADOMI,
Ex Typis ANTONII CAVELIER, Regis, & Universitatis Typographi.





THESES
EX UNIVERSA MEDICINA:
EX PHYSIOLOGIA.

MEDICINA à medendo ſic dicta definitur ars ab obſervatione nata, circa res naturales, non naturales & contra naturam occupata; quæ præſertim ſanitatem conſervare & amiſſam reſtituere docet. Quinque ſunt Medicinæ partes, quarum prima eſt Phyſiologia, quæ naturam & functiones hominis ſani ſpectat. Duo corporis humani elementa, fibra & humor. Fibræ proprietas, tenſio & laxitas; humoris, tenuitas & craſſities: ex variâ fibrarum & humorum diſpoſitione, varium deducitur temperamentum. Corporis actiones vel ſunt naturales, vel animales. Inter animales, quæ ſcilicet partim à corpore, partim ab animâ pendent, cenſentur motus & ſenſus. Motus muſculorum, ſenſus nervorum ope perficitur. Naturales ſunt illæ, quæ fiunt juxta naturalem corporis conſtitutionem. Alimenta in ore præparata per œſophagum in ventriculum delabuntur. Ventriculus autem, præcipua chyloſeos officina, eſt pars infimi ventris oblonga, continendis, digerendiſque cibis deſtinata. Digeſtio pendet partim à motu ventriculi, partim à liquore gaſtrico, partim à tepido viſcerum adjacentium calore. Chylus ſanguini commiſcetur in ſubclaviâ venâ. Sanguificatio præcipuè fit in pulmonibus, primario reſpirationis organo. Duæ ſunt reſpirationis partes, inſpira-

tio & expiratio. Inspiratione thorax elevatur, expiratione deprimitur. Cor verus est musculus. Sanguinem à centro ad partes propellit. Variâ celeritate sanguis circumagitur non tantùm in variis hominibus, sed etiam in variis ejusdem hominis partibus. Per sanguinem intelligitur ipsa massa sanguinea, qualis existit in vasis. In hâc considerantur tres partes, serum, purpura, & gelatina. Gelatina verus est succus nutritius. Varii à sanguine secernuntur humores & excernuntur : alii utiles, ut lac, bilis, succus pancraticus, &c. Alii inutiles, ut urina, sudor, &c. Singulis mensibus mulier sanguinis excretionem per uterum ejusque cervicem patitur. Neque lunæ, neque fermento, sed soli plethoræ hujus periodicæ vacuationis causa tribuenda est. In utero fœtus nutritur, crescit. In hoc ergastulo per novem menses detinetur, donec mutuo matris, proprioque nisu foràs erumpat.

EX PATHOLOGIA.

IN Pathologiâ consideratur corpus præter naturam se habens, & in morboso statu constitutum. Hujus status ratione tria spectanda occurrunt; morbus, causa morbi, & symptomata. Morbus definiri solet affectus contra naturam corporis viventis functiones lædens manifestè, primò, & per se. Morbum necessariò sequitur actio læsa. Functio partium vel Idiopathicè vel Sympathicè læditur. Tripliciter consentiunt partes. 1°. Ob partium societatem & connectionem. 2°. Ob partium situm. 3°. Ob partium robur. Duplex morborum genus admittitur : aliud solidarum, aliud fluidarum partium. Quadruplici modo vitiantur partes solidæ, nempe in conformatione, magnitudine, numero & conjunctione. Partes fluidæ tripliciter peccant, in quantitate auctâ aut imminutâ, in qualitate, & in motu. Plus æquo major quantitas vasa comprimit, eaque nimium distendit, unde pendent oscillationum interrupta opera, unde nulla peragitur secretio, & excretio. Nimium dissoluti humores non satis resistunt solidorum impetui, nimis cohærentes motum circularem obice suo interturbant. Major aut minor motus symptomata producit cæteris non leviora. Omnis morbus quatuor temporibus circumscribitur, quæ principium, augmentum, status & declinatio. Qui hæc breviter percurrit, brevis: qui lentè, chronicus dicitur. Qui brevi temporis spatio finitur, & gravioribus stipatur symptomatis, acutus vocatur morbus. Causa morbi est

res, quæ corpus adeo immutat, ut idem de optimo ac pristino statu deturbet. Hæc vel interna est, vel externa, vel continens. Interna est ea, quæ intra corpus nostrum latet: externa & necessaria nos necessariò afficit; hanc nullo modo vitare possumus, talis est aer, cibus & potus, animi pathemata, &c. Continens dicitur, quæ in corpore morbo proximè adhæret, eumque fovet, hàc sublata tollitur morbus. Symptoma est affectus præter naturam, qui morbum sequitur ut effectus suam causam. Solida lacessita & affecta, morbus; fluidum immutatum, & lacessens, morborum causa; solidorum functiones læsæ, symptomata.

EX SEMEIOTICE.

SEMEIOTICE à verbo Græco σημεῖον de signis agit. Signum definitur quidquid sensibus obvium, & notum, aliud obscurum & reconditum significat. Triplicis generis sunt signa: vel enim præteritam corporis constitutionem declarant, & anamnistica: vel præsentem morbi statum indicant, & diagnostica: vel denique futurum prænunciant, & prognostica dicuntur. Quantum intersit Medico præteritum & præsentem morbi statum cognoscere, aptè explicat Hyppocrates lib. de affectibus, tit. 36. ubi sic habet. *Cum ad ægrum deveneris, interrogare oportet quæ patiatur, & ex quâ causâ, & quot jam diebus, & an venter secedat, & quo victu utatur.* Diagnostica signa, alia Pathognomonica, quæ morbum semper comitantur; cum eodem incipiunt ac desinunt; pro morbi magnitudine augentur ac minuuntur. E Diagnosticis alia partem affectam, alia morbi speciem, alia ejus causam indicant. Ut rectam prognosim instituat Medicus, morbi vehementiam cum ægrotantis viribus conferre debet: si morbi magnitudo ægri vires superat, mors; si verò hæ morbo sint superiores, salus tutò prædici potest.. Signa prognostica triplicis sunt generis, alia coctionis vel cruditatis, alia salutis vel mortis, àlia denique critica. Quæ omnia petuntur è triplici corporis regione. Ad actiones animales somnus & vigilia referuntur. Ab illis non parva salutis aut mortis desumuntur indicia. De somno sic Hyppocrates. Ἐν ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέῃ, θανάσιμον. ἢν δὲ ὠφελέῃ, οὐ θανάσιμον. Pulsus & respiratio ad actiones vitales pertinent. Pulsus virium index est certissimus. Pul-

ſus magnus ille eſt, in quo arteria multum pulſat in longum, latum & profundum; parvus è contra: hic virium imbecillitatem, ille conſtantiam arguit. Validus pulſus tangentis digitum validè, debilis languidè ferit. Pulſus frequens, frequenter; rarus, rarò micat. Bona eſt reſpiratio, cum fit qualis fieri debet ſecundùm naturam; mala, cùm à naturali ſtatu recedit. Hæc magna eſt vel parva, velox vel tarda, frequens vel rara, æqualis vel inæqualis. Signa ad alvinam regionem ſpectantia, præcipua ſunt vomitus, excrementa, & urinæ. Urinis nimium ne crede, ut plurimum enim fallaces ſunt. Plurima etiam ſigna è toto corporis habitu petuntur Medicis non negligenda.

EX HYGIEINE.

HYGIEINE tuendæ ſanitati invigilat rerum non naturalium uſu. Sex vulgò numerantur, aër, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigilia, excreta & retenta, animi pathemata Triplici modo aër agit in corpus humanum, ut ambiens & circumfuſus, ut alimentis immixtus, ut & inſpiratus. Mirum, quanta præſtet in corpore triplici illo modo ſpectatus! ille aër ſalubris intelligitur, qui purus eſt. Cibus aſſumitur, ut reſarciantur damna, quæ ex evacuationibus naturalibus conſequuntur. Cibus ille optimus, qui facilè coquitur, nutrit plurimum, non facilè corrumpitur, aut pravam indolem induit, & pauca relinquit excrementa Quò ſimpliciora alimenta, eò ſalubriora. Sanitatem tuetur quiſquis auream in cibo & potu ſervat mediocritatem. Natura & ars animantibus potum paravere diverſi generis. Paratus à naturâ, ſola eſt aqua; ab arte ſunt præſertim vinum, cereviſia, & pomaceum. Ars quoque multiplices invenit liquores, ad voluptatem potiùs quàm ad utilitatem excogitatos, quibus torrentur viſcera, nervi reſolvuntur, & plurimorum morborum genera accerſuntur. Quilibet iſta omnia, ſi ſapiat, vitet: ſimplicibus vivat, & vigebit corpus. Alternis gaudent vicibus motus & quies. Sint moderata exercitia. Temporis, in exercitatione corporis, maximè habenda eſt ratio: neque enim impune fas eſt quolibet tempore exercere corpus. Commodius ante prandium & cænam exercetur; aſſumpto cibo, quieſcere expedit. Somno vires reficiuntur, ſpiritus laboribus diſſipati inſtaurantur, calor benignus conciliatur: inde corpus fit vegetius,

tolluntur curæ, fovetur insensilis transpiratio. Cave tamen, ne immoderatus sit: hôc etenim torpidi fiunt spiritus, quin mens ipsa hebescit. Moderatæ quoque sint vigiliæ. Hæ spiritus & sensus excitant: immoderatæ eosdem absumunt, corpus emaciant, pluresque morbos præcipuè chronicos inferunt. Pullulant tanquam ex uberi scaturigine morborum facies innumeræ, ex eo quòd quæ excerni debeant, retineantur; quæ retineri, excernantur. Quas non edit strages cutis expiratio, si cohibeatur aëris inclementia? quos non movet tumultus muliebris naturæ tributum? si quamvis ob causam singulo mense non pendatur. In medio sanitas. Quin & ipsa venus medio gaudet. Nimia venus calorem perimit, debilitat corpus, cumulat cruditates, lædit nervos, generat arthritidem, paralysim sensuum & mentis torporem inducit. Læta venire venus, tristis abire solet.

EX THERAPEUTICE.

THERAPEUTICE dicitur ea Medicinæ pars, quæ medendi, seu morbos depellendi methodum præscribit. Methodus illa nihil aliud est, quàm rationalis via, quâ Medicus in morborum curatione debet incedere. Per viam illam ducunt indicationes, quæ prima sunt praxeos fundamenta. Indicatio definitur à Galeno, agendorum insinuatio. Qui indicationes sequitur, is præstantior habetur Medicus, morbosque citò, tutò, & jucundè curat. Indicationum varietas magnam aliquando parit difficultatem; quam ut tollas, sequentia in animum inducas axiomata. Cum æqualiter urgent vitalis indicatio & alia quælibet, vitali satisfaciendum. Ubi non est eadem vis indicationum, urgentiori serviendum. A juvantibus & lædentibus indicatio habetur optima. In maximis morbis magna & citò adhibenda remedia, in mitioribus verò sensim & repetendo lenia adhibenda sunt. Remedia ad depellendos morbos necessaria desumuntur ex Diætâ, Chirurgiâ, & Pharmaciâ. Diæta rerum non naturalium, varium pro vario ægrotantium statu, pro varietate circumstantiarum, usum edocet. Qui legitimam alimentorum præscribendorum rationem noverit, morbos cæteris incurabiles feliciter ac tutò valet debellare. Initio morbi plus cibi, modo non adsit plethora, exhibere oportet, at procedente coctione, eunteque in judicationem mor-

bo, ſenſim de cibo detrahere oportet, eâ proportione, quâ morbi ipſius duratio contrahitur. Inter varias Chirurgiæ operationes primum obtinet locum phlebotomia. Hæc cunctis evacuantibus, humano generi præſtat facilitate operis, *toleratu*, ſecuritate, & temporis antiquitate. Triplex eſt phlebotomiæ effectus, evacuatio, revulſio & derivatio. Hæc non ſunt inania nomina, Detrahitur ſanguis, cum inutilis eſt; dupliciter autem inutilis, cum aut quantitate, aut qualitate peccat: hinc pueris æquè ac ſenibus mitti poteſt, cum in iis abundat aut vitioſus eſt. Mirum quomodo tantus adhuc occurrat hæmophoborum numerus! Pharmacia medicamenta proponit ex tribus regnis, animali, vegetabili, & minerali deſumpta. Alterantia ſunt & evacuantia. Illa humores pravos corrigunt, emendant, hæc redundantes evacuant. Utraque quò ſimpliciora, eò meliora. Multiplex eſt evacuatio: per ſuperiora evacuant emetica, errhina, &c. per inferiora, diuretica, &c. per corporis ambitum diaphoretica, &c. Cum adſunt nauſea, vomituritiones in principio morbi, emeticum propina; cave tamen, nulla adſit inflammationis ſuſpicio. Cæterum in remediorum uſu illud cum Epiphannio Ferdinando inviolabili lege obſervemus, ut quandoque à remediis abſtineamus: nam interdum remedium eſt nullum adhibere remedium: hinc rectè Borellus, *Medicus non minùs eſt, qui remedia ægris admovere, quam qui utiliter amovere, ſcit.*

Has ſuàs Theſes proponebat Alexander Ludovicus Beliambe de Longuerais, *Cadomæus, Licentiatus Medicus*,

Fortuitam deinde Aphoriſmi Hippocratis explicationem habebit,

die Sabbathi 18. *Januarii, A. R. S. H. M. DCCXXI.*
à prima ad veſperam.